

**de oratione  
in genere,**      <sup>5</sup> Et cum oratis, non eritis sicut hypocrita, qui amant in synagogis, et in angulis platearum stantes orare, ut videantur ab hominibus: amen dico vobis, receperunt mercedem suam. <sup>6</sup> Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito: et pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. <sup>7</sup> Orantes autem, nolite multum loqui, sicut ethnici. putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur. <sup>8</sup> Nolite ergo assimilari eis. scit enim pater vester, quid opus sit vobis, antequam petatis eum.

**de oratione  
dominica,**      <sup>9</sup> Sic ergo vos orabitis:  
<sup>a</sup>Pater noster, qui es in cælis:  
sanctificetur nomen tuum. <sup>10</sup> Adveniat regnum tuum.  
Fiat voluntas tua, sicut in cælo, et in terra.  
<sup>11</sup> Panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.  
<sup>12</sup> Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.  
<sup>13</sup> Et ne nos inducas in temptationem. Sed libera nos a malo. Amen.

<sup>14</sup> **b**Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum: dimittet et vobis pater vester cælestis delicta vestra. <sup>15</sup> Si autem non dimiseritis hominibus: nec pater vester dimittet vobis peccata vestra.

**de ieiunio,**      <sup>16</sup> Cum autem ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. <sup>17</sup> Tu autem, cum ieiunas, unge caput tuum, et faciem tuam lava, <sup>18</sup> ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo, qui est in abscondito: et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

**de thesau-  
ris et sollici-  
tudine,**      <sup>19</sup> Nolite thesaurez vobis thesauros in terra: ubi ærugo, et tinea demolitur: et ubi fures effodiunt, et furantur. <sup>20</sup> **c**Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo: ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur. <sup>21</sup> Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum. <sup>22</sup> **d**Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex: totum corpus tuum lucidum erit. <sup>23</sup> Si autem oculus tuus fuerit nequam: totum corpus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen, quod in te est, tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ erunt? <sup>24</sup> **e**Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, et alterum diligit: aut unum sustinebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire, et mammonæ. <sup>25</sup> **f**Ideo dico vobis, ne solliciti sitis animæ vestrae quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima plus est quam esca: et corpus plus quam vestimentum? <sup>26</sup> Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: et pater vester cælestis pascit illa. Nonne vos magis pluris estis illis? <sup>27</sup> Quis autem vestrum cogitans potest adiicere ad staturam suam cubitum unum? <sup>28</sup> Et de vestimento quid solliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent. <sup>29</sup> Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua cooperatus est sicut unum ex istis. <sup>30</sup> Si autem fœnum agri, quod hodie est, et eras in elibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos modicæ fidei? <sup>31</sup> Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? <sup>32</sup> haec enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater vester, quia his omnibus indigetis. <sup>33</sup> Quaræte ergo primum regnum Dei, et iustitiam eius: et haec omnia adiicientur vobis. <sup>34</sup> Nolite ergo solliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi. sufficit diei malitia sua.

**de iudicio  
malo,**      <sup>7.</sup> <sup>1</sup> **g**Nolite iudicare, ut non iudicemini. <sup>2</sup> In quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabimini: het in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. <sup>3</sup> Quid autem vides festucam in oculo fratris tui: et trabem in oculo tuo non vides? <sup>4</sup> Aut quomodo dicis fratri tuo: Sine eiicam festucam de oculo tuo: et ecce trabs est in oculo tuo? <sup>5</sup> Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis eiicere festucam de oculo fratris tui. <sup>6</sup> Nolite dare sanctum canibus: neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos.

<sup>6, 9</sup> **a**Lc 11, 2. — <sup>14</sup> **b**Sir 28, 3. 4. 5; Inf 18, 35; Mc 11, 25. — <sup>20</sup> **c**Lc 12, 33; 1 Tim 6, 19. — <sup>22</sup> **d**Lc 11, 34. — <sup>24</sup> **e**Lc 16, 13. — <sup>25</sup> **f**Ps 54, 23; Lc 12, 22; Phlp 4, 6; 1 Tim 6, 7; 1 Ptr 5, 7. — <sup>7, 1</sup> **g**Lc 6, 37; Rom 2, 1. — <sup>2, h</sup>Mc 4, 24.